



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

De aliis affectibus specialibus, qui elici possunt ex consideratione  
matarum provectoribus propriarum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

Deus bone! quanta infelicitas, quantus dolor, quanta foret tristitia, si meâ accidisse negligentiam atque ignaviâ deprehenderem, quod tuæ divinæ præsentia, quæ totam cœlestem curiam tantopere oblectat, fruitione privaret? Idcirco ex intimo cordis mei affectu, totoque conatu te rogo & obtestor, ut illam concedere mihi gratiam digneris, ut majori impofterum alacritate ac fervore, quàm hactenus factum fuerit, allaborem, ut mea conversatio tota sit in cœlis, ut ne amplius per istas res terrenas serpam, neque vanæ hujus mundi deliciae me amplius, quàm lutum aut fimus, afficiant.

## CAPUT XVI.

*De aliis affectibus specialibus, qui elici possunt ex consideratione materiarum Provehentioribus propriarum,*

**M**ateriae hujusmodi ordinariae sunt:

1. Virtutes in genere, aut in specie.
2. Mysteria vitæ, mortis, ac passionis Domini nostri Jesu Christi.
3. Sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum.
4. Vita & virtutes B. Virginis aut Sanctorum.
5. Vota, exercitia & sanctiores observantiæ Religionis.
6. Loca sacrae Scripturae, sententiæ sanctorum

rum

rum Ecclesiæ Patrum , versiculi Psalmorum  
&c.

7. Beneficia divina tam in genere, quam in specie.

8. Attributa Dei.

9. Creaturæ , in quantum illæ in Dei nos cognitionem inducunt.

Ex quibus materiis, præter quatuor istos affectus generales, de quibus supra egimus, nasci possunt alii speciales, ut putà compassionis, amoris, imitationis aliique similes, ut in formulis sequentibus videre erit.

1. *De Virtutibus.*

**E**X consideratione ergo alicujus virtutis v, g. mansuetudinis, ubi quis consideraverit illam consistere in certa quadam animi æqualitate, in medio etiam injuriarum & opprobriorum tranquillitatem non amittentis, neque ullam contrahentis amaritudinem; orrieam, tanquam ex proprio fonte, ex vili nostrimetiporum existimatione; proprium illi esse, nos Deo æquè ac hominibus reddere acceptos; effectus illius esse reddere bonum pro malo; finemque obtinere nobis conditionem filiorum Dei, & consequenter cœlestis regni hæreditatem: denique admirabilia, quæ nobis dereliquit, Salvator noster, illius exempla. Ex hac inquam meditatione infallibiliter nascitur.

1. Magna existimatio, complacentia, atque inclinatio quædam erga hanc virtutem, quæ nobis adeo amabilis apparet ac jucunda.

2. In-

2. Ingens illius quacumque demum viâ acquirendæ desiderium.

3. Voluntas imitandi Salvatorem nostrum in exemplis hujus virtutis, quæ nobis ipse dedit.

4. Firmum propositum illius obtinendæ mediâ inquirendi, nullamque omnino illius acquirendæ occasionem negligendi.

Aliique hujusmodi affectus, quos ista quis ratione poterit exprimere.

Adeo mihi placet istius pulchritudo virtu- *Formula.*  
tis, mi Deus, ut omnino in illam acquirendam, quovis studio ac labore incumbere constituerim. Absque illa enim ratio mea passionum mearum tumultui tyrannico modo subieitur; Voluntas inquietudine ac turbatione, cor meum semper plenum est amaritudine, atque in eo sum statu constitutus, qui tuæ omnino displicet divinæ Majestati. O! quàm felix est anima, quæ pacem cordis possidet ac tranquillitatem, quæ viscera habens penitus charitate colliquata, nescit quid sit offendi, turbari aut irasci, quæ sexcentas perferre mavult injurias, quam inferre vel unicam, quæque, uno verbo, adeo in semet ipsa humilis, adeo in Dei voluntatem resignata, adeo proximi amore plena est, ut in medio persecutionum adversus eam concitatarum, opprobriorumque ipsi illatorum absque ulla penitus offensione perdu-  
ret?

Hoc ipsum est, quod tuo nos docuisti exemplo, divine Saluator, ubi injuriis affectus, contumeliis agitatus, graviter cæcus, ac tandem  
morti

De  
ratione

morti adjudicatus, ne verbulum reposuisti, quin potius tortoribus, quasi Dominis tuis, te submittere, trahi, cædi & occidi te sine ulla oppositione permisisti.

Intuere, anima mea, & attende, quale tibi Redemptor tuus exemplum reliquerit: Ecce quem debeas imitari. Ad illius igitur imitationem impofterum patienter feres non solum mortificationes, quas tibi injungi continget à superioribus, verùm etiam duriora verba, quin & irrisiones, quas, Deo permittente, à fratribus tuis patieris. O Domine Jesu Christe, pulchritudo excellentissima, omniumque virtutum speculum, quantâ admiratione, quantoque gaudio afficiebantur Angelici illi spiritus, ubi cordis tui humilitatem, tuæ conversationis dulcedinem, atque in tam injuriosis, tuæque adoranda Majestate prorsus indignis verbis patientiam invictam contemplabantur! Verùm quò cunctæ istæ virtutes spectabant, nisi ut mihi exemplum præberent, quod imitarer? Etiam id ex toto corde desidero, tuæque vestigia sequi omnino decerno. Ad exemplum videlicet tuum mitis, humanus, pacificus, comis ac patiens ero, eoque fine contendam, ut mihi nulla penitus virtutis hujus exercitandæ elabatur occasio.

2. *De Mysteriis vite & passionis  
Domini nostri.*

**I**N cujuslibet istorum mysteriorum meditatione, postquam quis consideraverit non esse creaturam, sed Deum, qui talia dicit, aut facit, idque propter homines peccatores & in-  
gra-

gratos, & quidem pro quolibet in particulari, sine ullo suo emolumento, sed solum pro nostra salute & ad nostrum exemplum. Ea vero ipsum facere ac pati magno animo, amoreque forti, tenero ac liberali, cum magna exteriori voluntatis propensissimæ, suavitatisque eximie demonstratione: ubi denique sigillatim expendit omnes circumstantias temporis, loci & personarum, quantum quidem materia permiserit; infallibiliter persentiscet complures affectus præcipuè vero istos.

1. Compassionis, videndo personam divinam adeo sanctam, adeo innocentem, adeoque teneram, tot pœnis ac tormentis, vitæ adeo pauperi ac pœnosæ, mortique doloribus atque ignominiiis adeo plenæ subjectam.

2. Tenerrimi atque affectuosissimi amoris, ut amoris immenso ex parte Dei patientis conspicuo correspondeat.

3. Ardentis desiderii illum imitandi, illiusque insistendi vestigiis, eo fine quærendo media, proponendoque nullam hujusmodi imitationis elabi sinere occasionem, quin potius res quasvis arduas illius amore libenter ac generosè suscipere.

Anima, quæ quidem interiori hac fuerit ratione affecta, hosce vel similes actus formare poterit:

Ubi te considero, mi Jesu, in stabulo ventis undique pervio, asperissima hyeme, nascentem: ubi vitam tuam contempro plenam laboribus, molestiis & contumeliis, ubi te intueor columnæ alligatum, adeo crudeliter omninoque inhumanè flagellatum, spinis corona-

*Formula*

rona

De  
oratione

ronatum, felle potatum & cruci affixum, cor meum præ compassione dirumpitur, & oculos lacrymæ invadunt, cùm tanta pati te videam.

Verùm ubi perpendo, hæc omnia te facere ac tolerare pro hominibus miseris, tantoque prorsus favore indignis, pro peccatoribus infelicibus & ingratis, qui ne quidem beneficium agnoscunt, & pro me speciatim, qui omnium ingratiſſimus sum, hic amoris tui excessus attonitum me reddit adeò, ut quid dicam aut quid sentiam, ignorem. O cor inhumanum! tot ac tanta tam perfectæ amicitiae testimonia ac signa emollire te nequeant?

Quid? Num videbo Deum meum pro mea salute, formâ infantis assumptâ, incarnatum, eoque usque semetipsum humiliantem atque exinanientem, ut in stabulo inter bestias nasci, ac in præsepio voluerit super fœno collocari? Illum videbo in ætate jam proVectiore, fame, siti, jejuniis, vigiliis, atque aliis incommoditatibus confectum, non habentem quo se conferat, imò ubi caput suum pretiosum reclinet, coram suis se creaturis usque adeo demittentem, ut pedes earum abluat, impijs se submittentem, atque ipsis suis se crucifixoribus subjicientem, voluntariè ac liberè ad mortem crucis semetipsum offerentem, atque ad hæc omnia non nisi amore illo, quo me ineffabili prosequitur impulsus? Hæc, inquam, omnia videbo, quin amorem hunc profulum agnoscam, & quantum in me est rependam? Hanc adeo abundantem, adeoque pretiosam redemptionem non magni ducam?

cam?

cam? Vah! mori potius, quàm in talem incidere ingratitude.

Verùm, quam mercedem pro tot tantisque excessibus, in tua divina persona mei gratiâ completis, requiris, mi Deus? Scio, amantissime Redemptor, imitationem potissimum te exigere. Etiam, Domine, volo te imitari, atque hoc est, quod firmiter decerno.

Quid? Ego deinceps humiliari renuerem? Vestium luxum, ac nutrimenti delicias consectarer? tanti honorem atque existimationem meam facerem, ut ne verbulum, quod mihi displiceat, aut honori meo vel tantillum derogat, pati vellem? Nullam corporis animique afflictionem cum resignatione acceptarem? absit. Etenim quid mihi toleratu evenire difficile potest, ubi ipsum cum iis, quæ talis ac tantus Dominus mei causâ voluntariè pertulit, comparavero? operi manus admovenda est. Etiam, ô mi Deus, nullum tuus miles ictum persentiscet, ubi in plagas ac vulnera Regis sui amantissimi, gloriosissimique oculos suos conjecerit.

*Devotus miles non sentit sua, cum benigni Ducis intuetur vulnera.*  
Bernard.

Meum est, ô Domine, subire tormenta, quia ego commisi delicta, me castiga, me confunde, corpus & animam meam omnigenis pœnis afflige. Etenim si ego sum, qui deliqui, nunquid etiam meum est, puniri? O ineffabilem tuam, Salvator pietissime, charitatem, qua tu te ad cædem offers & crucem pro reis! Quem non afficiat, verùm afficiat quàm vehementissime,

K

deside-

De  
oratione



desiderium sua corrigendi delicta , horrendi-  
que atque æternum fugiendi peccata , qua  
tantorum exitere tibi causa tormentorum ?

Mi Deus, quam ardentia cor meum inflam-  
mant pro te patiendi , atque ad tuam imita-  
tionem res quasque difficillimas maximeque  
arduas aggrediendi desideria ? Quam pudet,  
pigetque hæcenus vitam duxisse à tua tanto-  
pere alienam , toties mortificationis occasio-  
nes respuisse , ut meæ sensualitatis inclinatio-  
nes vehementius sectarer ? Quantis me bo-  
nis privavi ? Prô ! Ex fundo cordis mei opta-  
rem id nunquam factum fuisse. Quam pudet  
adhuc tam parum super sanctas actiones tuas  
heroicasque admirandæ vitæ tuæ virtutes re-  
flexisse ? At firmiter hoc mihi constitutum est ;  
illam vitam tuam imposterum habere pro ex-  
emplari & archetypo , illamque semper oculis  
mentis meæ præsentem inspicere, ut meam ipsi,  
quantum quidem possibile fuerit, assimilem &  
conformem.

3. *De Augustissimo sacro-sanctæ Eucha-  
ristiæ Sacramento.*

**A**Nima, postquam contemplata fuerit in-  
stituendi hujus ter adorandi Sacramen-  
ti rationes , amoris erga genus humanum te-  
nerrimi plenas, miracula , quæ Salvator noster  
facit , ac pericula , quibus ipse se exponit, ad  
nos ut veniat , mirabiles, quos producit, effe-  
ctus ; ac præcipuè illustrationes & consolati-  
ones, quas iis infundit animabus, quæ con-  
venienti ipsum cum devotione receperint ;  
anima, inquam, postquam ista ac similia me-  
ditata

ditata fuerit, uti decet, infallibiliter hosce per-  
sentiscet affectus.

1. Tenerrimi, intimi, ac reverentissimi a-  
moris erga Deum ac Dominum Salvatorem  
nostrum.

2. Sinceræ intimæque recognitionis illius  
doni inæstimabilis.

3. Profundissimæ humiliationis atque ab-  
jectionis suiipsius, cum tantus Deus tanta pro  
vili creatura sua operetur mirabilia.

4. Affectuosissimæ adorationis filii Dei in  
sanctissimo Sacramento.

5. Laudis, admirationis, suspensionis, alios-  
que innumeros sanctos affectus ex hoc san-  
ctissimo atque ineffabili Sacramento, veluti è  
perenni leaturigine, promanantes.

Deinde producet quatuor istos affectus ge-  
nerales:

1. Actionis gratiarum pro tanto beneficio.

2. Propositi sese dignè semper præparandi  
ad sacram communionem.

3. Oblationis suiipsius in vicem amoris.

4. Petitionis gratiæ ad habendos semper-  
quæ fovendos conceptus & affectus, quos tan-  
tum promeretur mysterium.

Formulam hujusmodi actuum hic non da-  
mus, tum ut ingratam vitemus prolixitatem,  
tum etiam quia facile erit imitari formulas  
præcedentes.

4. *De Vita ac Virtutibus B.V.  
& Sanctorum.*

Postquam illorum virtutes, merita, gloriæ  
gradus, media, quibus illam sunt assecuti,

K 2

quo-

De  
ratione

quomodo gratiis cooperati fuerint divinis, familiarique consideraverimus, excitabimur.

1. Ad congaudendum de magna eorum felicitate.

2. Ad collaudandum Deum ob singulares, quas ipsis contulit, gratias, specialemque eorum electionem, ut in Ecclesia sua illos præ cæteris eximios efficeret.

3. Ad imploranda intercessionis eorum subsidia.

4. Ad imitandam virtutem, quæ amplius in ipsis reluxit, cujusque studium statui ac professioni nostræ amplius congruit.

Atque ad alios similes eliciendos affectus, quorum producendorum formulam omittimus, quia facile erit imitari præcedentes.

5. *De Regulis & Exercitiis  
Religionis.*

**C**ONSIDERANDO, illas esse ordinatas à Deo, contineri in illis media, quibus nos Deus vult salvare, maximi temper fuisse æstimas, exactissimeque observatas à plurimis eximius nostri Ordinis Sanctis, qui earum observatione insignem sanctitatis apicem sunt consecuti, aliaque similia anima interiorius commovebitur.

1. Affectu existimationis ac magni respectus earum omnium in generali.

2. Gaudio, quod illas professa sit, quodque in iis medium inveniatur infallibile pertinendi ad omnimodam perfectionem & salutem.

3. Inviato proposito sollicitè ac fideliter observandi semper quamcumque earum, etiam  
mini.

minimam, quia omnes æqualiter à Deo sunt ordinatæ, & illas qui negligit, in evidenti suæ salutis periculo constituitur, quia declinat à via, quâ ipsum Deus ad finem conducere beatum constituerat. Aliisque similibus affectibus, quorum actus conformiter ad supradictas formulas produci poterunt.

Quoad loca sacre Scripturæ ac sententias SS. Patrum, sicut in illis contentæ veritates similes non sunt, etiam differentes ex iis nasci solent affectus, quæ causa est, cur de illis in particulari determinatè nil dicere valeamus.

*Monitum  
pro sen-  
sentiis sa-  
cra Scri-  
ptura.*

### 6. De Beneficiis Divi- nis.

**A**nima, ubi consideraverit, quantum sit quodvis ex huiusmodi beneficiis, qua ratione ipsum nobis contulerit Deus ex mera sua infinita bonitate, idque eo fine, ut nos per hoc amplius ac strictius ad ei serviendum obligaret, & denique quâ in miseria versaremur, nisi isto fuisset beneficio affecti, anima, inquam, illa infallibiliter excitabitur

1. Ad huic benefactori suo humillimas toto cordis affectu agendas gratias.

2. Ad bonitatem hanc divinam adeo magnificam, adeoque erga nos, absque ullo suo emolumento, profusam totis viribus redamandam.

3. Consequenter proponet à se hoc beneficium, donum aut gratiam illius servitio penitus impendendam,

K 3

4. Ve-

*De  
ratione*

4. Veniam rogabit præteritarum ingrati-  
tudinum, quodque donis toties, naturalibus  
æquè ac supernaturalibus, sibi abundantissimè  
concessis abusa fuerit.

5. Amorem omnem exuet creaturarum,  
fortiori impulsa amore Dei, ut illi soli adhæ-  
reat, atque in omnibus ac per omnia sanctissi-  
mæ illius pareat voluntati.

### 7. *De Perfectionibus Divinis.*

**E**X consideratione divinorum attributo-  
rum communiter nascuntur

1. Alta existimatio magnitudinis Dei.
2. Magna admiratio animique suspensio ad  
intuitum tantarum excellentiarum.
3. Actus profundæ humiliationis, adora-  
tionis, ac summi respectus.
4. Affectus amoris, laudis atque integræ  
submissionis illius sapientissimæ directioni fa-  
ctæ, perfectæque in illius protectione fidu-  
ciæ.
5. Totalis oblatio corporis animæque no-  
stræ ad illi omnibus, quibus ipse voluerit, mo-  
dis inserviendum.
6. Motus ac desideria integræ transforma-  
tionis in vasto hocce pulchritudinis bonitatis,  
amoris, atque æternæ felicitatis oceano.
7. Ardens honoris ipsius zelus, aliaque si-  
milia.

### 8. *De Creaturis.*

**N**on desunt, quibus creaturæ amplissi-  
mam suppeditant meditationis materiam.  
Illi ductum ac motum interiorem. eamque,  
quam